

12) Praecedentia.

Vd.: *Episcopus* (praeced.); *Episc. titul.*; *Sed. Episcop. in Synodo prov.*

Episcopis titularibus praecedunt Episcopi locales etiamsi posteriores sint consecratione.

Frances. de Eccles. Cathedral. cap. 32. num. 19. et 21., *Ursaya* in *Miscellaneo sacro et profano* part. 2. verb.: *Episcopus* n. 40.

13) Synodus et Concilium.

Titulares Episcopi nequeunt cogere Synodum dioecesanum, nisi qui a suis Ecclesiis expulsi sunt, aut in terris Christianorum jurisdictionem exercent in determinatis locis *Benedict. XIV. de Synodo dioecesana* lib. 2. c. 4. a num. 3. ad 6. Episcopi titulares non fuerunt admissi ad Concilium Romanum sub *Benedicto XIII.* celebratum anno 1725. Idem *ibid.* lib. 5. cap. 10. num. 3.

An Episcopi titulares possint ac debeant vocari ad Concilia generalia in iisque votum habeant decisivum, gravior quaestio est, de qua *Andreucius* de *Episcopo titulari* P. II. num. 118. seqq. Nullus certe titularium Episcoporum, qui plures erant, vocatus fuit ad *Lateranense* et *Tridentinum Concilium.* *Vide Cardinalem de Lugo* lib. V. *Responsor. Moral. dub.* 15.

TITULUS.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (titulus); *Indulg. altaris* (quando reviviscat?) *Indulg. ecclesiae renov.* (decr. 13. Septembris 1723.)

2) Cardinalium.

a) Modus dandi.

De dandis Titulis et Annulis Cardinalibus.

Accedentes novi Cardinales unus

post alium ad Pontificem, primus genuflectit ad Pontificem, qui accipiens Annulum pretiosum ad hoc praeparatum immittet in digito annulari dextrae manus Cardinalis, dans ei Annulum et Titulum, dicens: „Ad honorem Dei Omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et sancti N. cum clero et populo et capellis suis secundum formam, qua committi consuevit Cardinalibus, qui eandem Ecclesiam in Titulum habuerunt.“ In Diaconis autem id servatur, nisi quod non dicit: Tituli, nec adduntur capellae.

Quod novi Cardinales non utuntur Annulis antequam habeant Titulum.

Notandum, quod novi Cardinales, etiamsi antea erant Praelati, non debent portare Annulos antequam habeant Annulum a Summo Pontifice. Cum autem acceperint Annulum et Titulum, osculentur pedem et Pontificis manum; et Sanctitas Sua eos elevet ad osculum oris et revertantur ad sedes suas. Datis Annulis et Titulis Cardinalibus praesentibus, consuevit Pontifex ad contentiones tollendas etiam dare Titulos Cardinalibus absentibus, si qui sint noviter creati. Et haec omnia de ore aperiendo, Annulis et Titulis dandis, possunt etiam fieri extra Consistorium ordinarium, videlicet in circulis et Congregationibus, quando Cardinales vocantur pro aliqua causa, et tamen supradicta servantur, sicut in Consistorio.

(Catal. Caer. Eccles. rom. I. I. p. 312.)

b) Praefinitio titularum etc.

Praefinitio titularum et diaconiarum pro sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris et diaconibus cardinalibus.

Sixtus V. Episcopus, servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosa sanctorum Pontificum praecessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, jam inde a vetustissimis temporibus et posteris traditum, ut sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris certae in urbe Roma Ecclesiae, tituli appellatae, quasi quaedam cujusque propriae dioeceses, diaconibus vero Urbis regiones, ad christianae religionis propagationem et conservationem, assignarentur. Quae quidem sancta institutio, plurimum saeculorum continuata serie ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram usque aetatem servata, ita viget, ut praeter sex Episcopos cardinales, qui certis cathedralibus Ecclesiis Urbi finitimis et diaconiae, cum suis clero et populo ac quasi episcopali jurisdictione in spiritualibus et temporalibus regendae et administrandae committantur.

§. 1. Proinde nos, postquam per nostram nuper editam constitutionem creandorum Cardinalium numerum, computatis sex Episcopis praedictis, quatuordecim diaconis, reliquis vero presbyteris cardinalibus, ad septuaginta praescripsimus, nunc quoque, ad Dei honorem atque ad ipsius sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum ac romani cleri et populi bonum regimen salubremque directionem, eisdem presbyteris et diaconis cardinalibus totidem titulos et diaconias, ipsorum amplitudini et dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleraeque ex antiquis Ecclesiis in titulos et diaconias concedi solitis aut a praedecessoribus nostris successu temporum additis adhuc integrae et illaesae permaneant, tamen quia nonnullae, tum diuturnitate et injuria temporum, tum diversis quae olim contigerunt ejusdem Urbis direptionibus, incendiis et ruinis, collapsae sunt, Nos, antiquae pietatis et religionis christianae monumenta conservare cupientes, sicuti sacrosanctas

basilicas et augustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum sarda custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari et ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres et nobiles Ecclesias, priscis temporibus in titulos presbyterorum cardinalium, ut praefertur, institutas, delegimus easque omnes, quae adhuc extant, volumus omnino in titulos pro modernis et futuris presbyteris cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quae recenti memoria in titulos erectae fuerunt, praetermissis quibusdam, propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, caeteras itidem retinere ac demum, ne titularum numerus presbyteris cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum praedecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen hujusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, dignitate praesulum majorem in modum illustrare et in similes titulos erigere et instituere ac pro numero presbyterorum cardinalium tot titulos addere; ex diaconis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem diaconis cardinalibus seligere et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum titulos et diaconias proprios assignando, ita ut numquam in posterum, quod hactenus saepe factum est, presbyteris diaconiae, neque diaconis tituli presbyterales, perturbato ordine aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut, quemadmodum Summus Pontifex, universali Ecclesiae praesidens et omnium totius orbis Ecclesiarum sollicitudinem gerens, specialiter tamen Urbis Romae Episcopus existit et in ea divina dispositione supremam sacerdotalis potestatis cathedram tenet, pari quoque ratione cardinalibus, quos uti speciales S. R. E.

filios, in apostolici muneris functione atque in universae reipublicae christianae administratione praecipuos sibi maxime conjunctos habet consiliarios et cooperatores, in eadem urbe Roma, quae olim Beati Petri sede in ea constituta, ipsius et apostoli ejus Pauli doctrina et martyrio consecrata et caput christiani orbis et religionis effecta est, certas sedes, mansionem et locum unicuique proprium assignet; cujus quidem loci concessione, iidem Cardinales et sui officii admoneantur et residentiae, quam assistendo ipsi Romano Pontifici servare debent, et vel ex hoc magis tamquam in unum corpus compacta membra, sacro capiti connexa esse et ab illo dependere clarius dignoscatur.

§. 2. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio statuimus et ordinamus, *in posterum perpetuis futuris temporibus, presbyteris cardinalibus has tantum, quae infra descriptae sunt, Ecclesias neque alias in titulos assignari debere, videlicet* ex antiquis: s. Crucis Hierusalem, ss. Marcellini et Petri, ss. Quatuor Coronatorum, ss. Joannis et Pauli, s. Anastasiae, s. Sabinae, s. Stephani in Coelio monte, s. Clementis, ss. Nerei et Achillei, s. Susannae, s. Pudencianae, s. Sixti, s. Petri ad Vincula, s. Martini in montibus, s. Eusebii, s. Priscae, s. Vitalis, s. Marci, s. Marcelli, s. Laurentii in Lucina, basilicae duodecim Apostolorum, s. Laurentii in Damaso, quae S. R. E. Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa et assignata est, s. Balbinae, s. Caeciliae et Chrysogoni, s. Praxedis, s. Mariae Transtiberim. Ex posterioribus vero: ss. Quirici et Julitae et s. Joannis ante Portam Latinam, s. Agnetis in Agone, s. Laurentii in Panisperna, s. Thomae in Parione, s. Silvestri in Campo Martio,

s. Pancratii, s. Bartholomaei in Insula, s. Matthaei in Merulana, s. Mariae de Aracoeli, s. Mariae in Via, s. Mariae super Minervam, s. Mariae Angelorum in Thermis, s. Hieronymi Illyricorum; necnon quas supradictis antiquis et posterius institutis addimus et ex nunc in titulos presbyterorum cardinalium, cum honoribus, insignibus, privilegiis, auctoritatibus et praeeminentis debitis et consuetis, instar aliarum Ecclesiarum, quae in similes titulos per nostros praedecessores antiquitus erectae et institutae fuerunt, sine alicujus praepudio, perpetuo erigimus et instituimus ac titulorum nomine et dignitate insignimus et decoramus: s. Honuphrii in Janiculo, mutato illius statu ex diaconia, quae hactenus fuit, in titulum presbyteralem, sancti Augustini, sanctae Mariae de Populo, sancti Alexii in Aventino, sancti Blasii de Annulo, s. Mariae de Pace, s. Salvatoris de Lauro, s. Petri in Monte Aureo, Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, s. Mariae Transpontinae.

§. 3. *Ex diaconiis vero antiquis statuimus retinendas esse tantummodo quatuordecim infrascriptas, videlicet:* S. Mariae in Aquiro, s. Mariae in Cosmedin, ss. Cosmae et Damiani, s. Mariae Novae, s. Hadriani, s. Mariae in Via Lata, s. Mariae in Porticu, s. Angeli in Foro Piscario, s. Nicolai in Carcere Tulliano, s. Mariae in Dominica, s. Eustachii, s. Viti in Macello, s. Agathae ac s. Georgii ad Velabrum, ecclesias, quae insigniores existunt et praescriptum a nobis diaconorum cardinalium numerum exaequant.

§. 4. Ita ut, computatis Ecclesiis cathedralibus, videlicet Ostiensi et Viterbana invicem unitis, Portuensi et s. Rufinae itidem unitis, Albanensi, Sabinensi, Tusculana et Praenestina, quibus sex Episcopi cardinales praesunt, et titulis presbyterorum superius de-

signatis, numerum septuaginta Ecclesiarum constituent.

§. 5. *Et alter praeterea titulus supra numerum addictus sit, ut si quando contingat diaconum vel Episcopum cardinalem vicecancellarium esse, et ideo eundem dictae Ecclesiae s. Laurentii in Damaso, quae vicecancellario pro tempore existenti per litteras felicitis recordationis Clementis Papae VII. praedecessoris nostri, perpetuo, ut praefertur, concessa et assignata fuit, praeesse alicui presbytero cardinali proprius titulus non desit.*

§. 6. Omnes vero illas Ecclesias, quae per praesentem nostram constitutionem presbyteris in titulos assignatae sunt, nunc vero a diaconis cardinalibus, etiam forsitan ex dispensatione apostolica, pro diaconia obtinentur, itidem omnes et quascumque ex dispensatione apostolica, itidem omnes et quascumque ex quatuordecim superius enumeratis diaconiis, quae presbyteris cardinalibus in titulos forsitan etiam ex simili dispensatione, concessae alias fuerunt et ab iis obtinentur; deinde omnes et quascumque Ecclesias superius non expressas, ipsis presbyteris aut diaconis cardinalibus in titulos aut diaconias commissas et assignatas ac per ipsos obtentas volumus et decernimus per praesentes ex nunc eo ipso vacare et quascumque illarum assignationes, concessiones necnon dispensationes, desuper, etiam motu proprio et consistorialiter ac de simili fratrum consilio expeditas, quae a praedecessoribus nostris, quaeque a nobismetipsis emanarunt, litterasque apostolicas desuper factas processusque habitos per easdem et inde secula quaecumque cassamus, irritamus et annullamus irritaque et nulla ac nullius roboris vel momenti esse nunciamus, mox assignaturi eidem Cardinalibus, ex quorum personis Ec-

clesiae in titulos aut diaconias per eos hactenus obtentae vigore hujus nostri decreti vacant, et eorum cuilibet alios titulos aut diaconias ex supradicto numero, proprio cujusque ordini congruente.

§. 7. *In aliis vero, praeterquam supra nominatis Ecclesiis, etiamsi earum aliquae in titulos presbyterorum aut denominationes diaconorum cardinalium concedi solitae sunt et cardinales iis praefici consueverunt (quarum singularum situationes et invocationes praesentibus haberi volumus pro expressis), nomina, insignia, denominationes et statum hujusmodi titulorum aut diaconiarum perpetuo snpprimimus et extinguimus, ac districte etiam interdiciamus ne de caetero umquam, perpetuis futuris temporibus, alia quam ex supradicto numero Ecclesiae in titulum aut denominationem cardinalatus cuiquam presbytero aut diacono cardinali concedatur aut assignetur, neque aliis quam supranominatis titulis aut diaconiis presbyteri vel diaconi cardinales praeficiantur: neve umquam aliqua ex dictis titulis diacono cardinali quomodolibet concedatur vel assignetur, neque cum iis aut eorum aliquo, ex quavis causa, desuper dispensetur.*

§. 8. Sed et decreta alias in consistorio super hoc edita innovantes et ampliantes pari ratione etiam *perpetuo prohibemus ne in posterum alicui presbytero aut diacono cardinali, qui alterum titulum aut diaconiam quomodolibet assecutus fuerit, quive ex ordine diaconorum ad ordinem presbyterorum vel ad episcopalem dignitatem transierit, aut ex ordine presbyteratus in Episcopum pariter promotus fuerit, licentia et facultas retinendi priorem Ecclesiam seu tituli vel diaconiae in administrationem aut in titulum non canonicatum et prae-*

bendarum, dignitatum, officiorum aut beneficiorum dimissi tituli vel diaconiae collatio, neque palatii, domus, vineae, hortorum aut fructuum, reddituum et proventuum aut jurium quorumcumque ad hujusmodi titulos seu diaconias pertinentium, ad tempus seu ad vitam, retentio aut ulla alia reservatio, quovis praetextu, occasione vel causa, etiam melioramentorum et sumptuum in illarum reparationem, necessitatem sive utilitatem factorum, concedantur; sed volumus ut ipsi tituli et diaconiae, cum illis adnexis, juribusque et pertinentiis suis universis, libere dimittantur.

§. 9. Insuper praecipimus et perpetuo ordinamus ut de caetero in quibuscumque literis apostolicis, in quibus Cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam tituli seu diaconiae vel episcopatus seu cardinalatus nomine expresso, se subscribant.

§. 10. Decernentes per hujusmodi erectionem et institutionem decem praedictas per Nos in titulos erectas Ecclesias tantummodo, novis privilegiis et dignitate auctas, decoratas et insignitas, nihil autem omnino praedicti cuiquam illarum, nihil alieni juris detractum aut immutatum censi posse aut debere; sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et Cardinales praeditos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super praemissis eorumque aliquo a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac

Ecclesiarum supradictarum et aliarum quarumcumque, necnon Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis ac quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi Ecclesiarum regimen cura et administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus et temporalibus sollicitè, fideliter et prudenter regant et gubernent ac juxta constitutionem piae memoriae Leonis Papae decimi, praedecessoris nostri, in Concilio Lateranensi novissime celebrato, editam frequenter visitent, circa cultum divinum invigilent, mores ac vitam cleri et populi eis subjecti diligenter explorent eosque ad recte et honeste vivendum paterno moneant affectu; bonorum ac temporalium reddituum gerant, sic ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem, pia et magnifica structura et fabrica suas quique Ecclesias instaurare studeant et exornare; et tam in vita quam in morticulo, pro divini cultus augmento et salute animarum suarum ac ad congrue sustentandum aliquem presbyterum, qui inibi in divinis deserviat sive alias erga ipsas Ecclesias, si reparatione indigeant vel alia subventionem, de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant et liberales, ut earumdem Ecclesiarum decora et ornamenta tantorum praesulum respondeant dignitati ac ipsae Ecclesiae tam sublimibus personis gaudeant commissas et eorum amplitudine illustratas; iidemque Cardinales ipsius S. R. E., cujus no-

bilissima membra sunt, majestatem, sua pietate, sollicitudine et prudentia in dies magis extollant et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter, augeant ac denique, praeter aeternae retributionis praemia, digna quoque laudum praeconia, a nobis et apostolica sede valeant promereri.

§. 13. Mandamus vero ut praesentes literae in quinterno Cancellariae apostolicae de more describantur.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, erectionis, institutionis, insignationis, cassationis, irrationis, annullationis, nunciationis, suppressionis, extinctionis, interdicti, innovationis, ampliationis, prohibitionis, praeepti, derogationis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 13. Aprilis 1587.

(Bull. r. t. VIII. p. 832. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Decretum consistoriale SSmi D. N. Urbani divina providentia Papae VIII. de titulis S. R. E. Cardinalium. Die 10. Junii 1630. In Consistorio secreto fuit facta per Dominum Cardinalem Pium relatio decreti Sacrae Congregationis Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium, ut infra.

Beatissime Pater!

Sacra Congregatio Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium censuit, si Sanctitati Vestrae placuerit, loco Titularum: „Illustrissimi“ et „Dominationis Vestrae Illustrissimae,“ quibus hactenus usi sunt Cardinales, Titulos „Eminentissimi“ et „Vestrae Eminentiae,“ una cum antiquo

titulo Reverendissimi in posterum esse debere proprios et peculiare Cardinalitiae Dignitatis, ita ut praefati tituli „Eminentissimi“ et „Eminentiae“ a nemine praeterquam ab ecclesiasticis romani Imperii electoribus ac Magistro Hospitalis Hierosolymitani usurpari possint aut aliis attribui, eosdemque titulos ab omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus et futuris omnino assumi illisque inter se tam voce quam scripto perpetuo uti debere. Quod si contingerit aliquem cujuscumque Dignitatis gradus et conditionis (Imperatore ac regibus exceptis) hujusmodi titulos alicui Cardinalium non tribuere, Cardinalis ille nullatenus cum eo coram agat, nec ejus literas quoquomodo recipiat.

Insuper censuit supplicandum esse Sanctitati Vestrae, ut per suum consistoriale decretum praecipere dignetur caeteris omnibus et singulis ecclesiasticis cujuscumque conditionis, gradus et dignitatis, etiam episcopali, archiepiscopali, primatiali seu patriarchali dignitate praefulgentibus, ne praefatos „Eminentissimi“ et „Eminentiae“ titulos quoquomodo sibi usurpent, sub poenis indignationis Sanctitatis Vestrae et Romanorum pro tempore Pontificum, inhabilitatisque ad alias dignitates et incapacitatis quarumcumque gratiarum seu indultorum sedis Apostolicae ac amissionis fructuum suarum Ecclesiarum et beneficiorum quorumcumque ipso facto incurrendis.

Item censuit haec omnia in praesenti consistorio esse referenda, ut Sanctitate Vestra annuente ab omnibus et singulis Cardinalibus recipiantur et super eorum perpetua et inviolabili observatione juretur debitaque executioni demandentur, a praesentibus quidem in consistorio statim, ab existentibus vero in curia post tres dies et ab absentibus post duos menses in

Italia et post quatuor extra Italiam. Inter alia super his etiam omnes et singuli Cardinales, qui in futurum creabuntur, jurare teneantur, praesentes quidem in receptione, absentes vero in receptione Bireti.

Qua relatione habita SS. D. N. per haec verba, quid vobis videatur? omnium DD. Cardinalium exquisivit suffragia et singulorum auditis sententiis non solum unanimiter consentientibus verum etiam instantissime deprecantibus atque S. Sanctitati supplicantibus, ut hujusmodi decretum cum auctoritate imprimendi etc. et literas etiam in forma Brevis expediendi, cum solitis clausulis etc. confirmaret, Sanctitas Sua, ut sequitur, decrevit.:

Petitionibus vestris annuentes proposita Nobis per vos omnia admittimus et approbamus et desuper literas etiam in forma Brevis cum clausulis opportunis et necessariis concedimus et expediri mandamus, cum auctoritate imprimendi. In nomine etc.

Absolute consistorio post discessum Pontificis, in Congregatione generali omnes et singuli Cardinales, qui consistorio interfuerunt, tactis sacrosanctis Evangelicis jurarunt et subscripserunt, ut infra:

Nos miseratione divina Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales supradictum decretum S. Congregationis Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro approbatum, a nobis receptum perpetuo ac inviolabiliter observare promittimus et juramus.

(Anal. J. P. 1857 p. 1921.)

3) Dignitat. et Canonico.

Ad dub.: An in confectione notulae capitularium, qui tenentur assistere Episcopo Pontificalia exercenti, Digni-

tates designari valeant diverso titulo ac designantur Canonici?

Si C. resp.: *Negative.* N. 4064 ad 18 die 31. Augusti 1737.

4) Ecclesiae.

a) Non mutandus.

Titulus antiquus Ecclesiae mutari non potest a Confraternitate. Sacra Rituum Congregatio 26. Octobris 1604.

Vd. t. III. p. II. pag. 411, 444 n. 1., 446 §. Juxta.

b) Translatio.

Translatio tituli Ecclesiae s. Mariae nuncupatae ad Capellam de jure patronatus familiae Perelliae facta in Ecclesia beatae Mariae nuncupatae delle Crocelle in regno utriusque Siciliae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Quum multa proximis temporibus in utriusque Siciliae regno ecclesiasticis rebus divinoque cultui inflicta sunt vulnera, quibus sane conjunctis studiis cum carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando regni utriusque Siciliae rege illustri, medelam afferre conamur, tum illud quoque ad religionis damnum ac contumeliam insigne est quod ibidem evenisse de Ecclesia sanctae Mariae ad capellam nuncupata Nobis innotuit. Quum enim Ecclesia illa ad abbatiam in primis vetustam aliquando pertinisset, quae abbatia a monachis subinde vacua consistorialis est facta et ab apostolica hac Sede Perelliae familiae concessa, ut in eam patronatus jura exerceret, repentina cupido id templum evertendi invasit illorum animos, quibus omnia divina atque humana violare habeat; utque eo in loco rerum pro-

mercalium nundinae haberentur, sacra aedes perpetuoque cultu dignissima disturbata est ac solo aequata.

§. 2. Quam divino cultui sibi que factam injuriam quum dilectus filius magister Petrus Paulus Perelli ejus abbatiae rector conquestus esset apud carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandum regni utriusque Siciliae regem illustrem, necnon apud dilectum filium magistrum Justiniani, qui ex Nostra nominatione ad exequendam conventionem initam anno millesimo octingentesimo decimo octavo, inter Nos eundemque pientissimum regem hoc tempore degit Neapoli, utrisque est visum huic incommodo ratione aliqua occurri posse, siquidem titulus et jura eversae Ecclesiae sanctae Mariae ad capellam nuncupatae ad Ecclesiam Conceptionis titulo nunc insignitam dictamque delle Crocelle ad Fiatamone apostolica Nostra auctoritate transferatur. Suppliciter ergo a Nobis petiit dilectus filius magister Perelli, ut ad eam translationem sancendam suprema Nostra potestate praesto esse velimus.

§. 3. Nos vero eundem oratorem et alios, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi et a quibus anathematis et interdicti alii-que ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, titulum sanctae Mariae ad capellam nuncupatae ad Ecclesiam, memoriae et honori beatae Mariae conceptae assurgentem appellatamque delle Crocelle al Fiatamone apostolica auctoritate transferimus, una cum omnibus jure-que exemptionibus, indultis ac privilegiis, quibus eversa abbatialis Ecclesiae sanctae Mariae ad capellam antea fruebatur.

§. 4. Et quoniam ea Nos mente ac

consilio ejusmodi legem de translatione jubemus, ut nimirum amissae Ecclesiae detrimentum abbati sanctae Mariae ad capellam sarciatur simulque consulatur decori subrogatae Ecclesiae delle Crocelle quam modo negligi ac squallere non sine animi Nostri dolore luctuque rescivimus, idcirco venerabili fratri Archiepiscopo Neapolitano, tamquam apostolicae Nostrae Sedis hujus rei causa delegato, extraordinariam curam imponimus subrogatae Ecclesiae reparationi ac decori solerter advigilandi et congruum tempus praestituendi, intra cujus lapsum abbas reficere concessam sibi suisque successoribus Ecclesiam debeat eamque sacra suppellectili, pro usu ac dignitate exornare, utendique omnibus ac singulis juris factique, ut dici solet, remediis, quae adhibenda censeat, ne consilia Nostra, divini cultus splendorem spectantia, ad nihilum recidant aut parum accurate impleantur.

§. 5. Haec concedimus atque mandamus decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 15. Januarii 1822.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 467. Ed. Romae.)

5) Ordinationis.

a) Episcopus ex propriis complere debet, si quem sine titulo sufficienti ordinaverit.

Egit *Fagnanus in cap.*: *Cum secundum de praebendis num. 63.* cum pluribus sequentibus et concludit, per Concilium innovatas tantummodo fuisse poenas contentas in cap. *Cum secundum de praebendis*, et addit fuisse per Sacram Congregationem declaratum, quod si quis fuerit promotus ad Or-